

DISPUTATIO THEOLOGICA SOLENNIS,
DE

UNIONE HYPO-
STATICA DUARUM
NATURARUM IN CHRISTO,

Von

Der persönlichen Vereinigung der beyden
Naturen in Christo /

instituta

Occasione dicti Apostolici Coloss. II, 9.

In illo (CHRISTO) inhabitat omnis ple-
nitude Deitatis corporaliter,

Quam

Divina annuente gratia

SUB PRÆSIDIO

DN. IOH. GEORGII
DORSCHER,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE PROF. ORD.
COLL. THEOL. H. T. DECANI,

Die XXIII. JUN. Ao. MDC LI. in *N. J.* Ep: ad Coloss: 414^c
PUBLICE VENTILANDAM PROPOSVIT

ABRAHAM AB ASPERN,
HAMBURGENS.

VITENBERGÆ,

RECUSA AB ANDREA HEBERO, M DCC XIII.

Exeg.
C.

398, 28

24.

DISPUTATIO THEOLOGICA SOLEMNIS

UNIONE HYPO-
STATICA DUARUM
NATURARUM IN CHRISTO

Ab

Per reverendissimum Theologum et

Magistrum

Ab

Occasione diei Ascensionis

In illo (CHRISTO) inhabitans omnis

secundo Deitatis corporalis

Ab

Divinae personae

Ab

DN. IOH. GEORGI
DORSCHEI

SS. THEOL. D. P. R. S. DEMONSTR. PROT. ORD.

COLLEGIUM THEOL. ET DECANUS

DE THEOL. ET M. M. D. C. V.

PAULICE VENTILANDAM PROBAT

ABRAHAM AB ASPERIN

HAMBURGENSE

Ab

RECASA AB ANDREA HESERO, M. DCC. XII.

Σὺν Θεῷ!

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
UNIONE HYPOSTATICA
DUARUM NATURARUM IN
CHRISTO.

instituta

Occasione Diēti Coloss. cap. II, 9.

Ὅτι ἐν αὐτῷ (Χριστῷ) κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς
Θεότητος σωματικῶς.

§ 1.



Est animus de *Unione hypostatica duarum naturarum in Christo*, primario doctrinae & religionis Christianae articulo, piam instituere συζήτησιν, cum vere sit admirabile mysterium, & ad cognitionem invitet (1) *Utilitas*: consistit enim in hac cognitione aeterna nostra salus, siquidem haec est vita aeterna, attestante

Proloquium

Utilitas

ipso Christo, ut cognoscant te (Patrem) solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum: cui concinit illius sapientis cap. 15. 3. *Nosse Te Deum consummata justitia est, & scire justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis.* Hinc Jeremias cap. 9. v. 23. 24. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis, sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, quod Paulus ad Salvatorem nostrum applicat, indeque concludit 1. Cor. 2. v. 2. Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* Quae olim Bernhardi serm. 43. in Cant. devota fuit confessio: *Hec mea sublimior Philosophia scire Jesum Christum, & hunc crucifixum.* (2.) *Necessitas*, necessaria haec est cognitio, ut veritatis fundamenta firmentur, contraria machinae dissolvantur, nec non falsitatis ruinosa structura de-

Necessitas

A 2

mon-

monstretur. Constat enim, quomodo Diabolus, infernalis ille Draco, omnes calliditatis suæ vires in hoc mysterio opugnando expertus sit omni tempore. Non enim tantum Nestorius, non Eutyches, non Samosatenus, unionem personalem impugnarunt, sed & ii, qui veræ & sinceræ religionis Christianæ assertores & Professores esse volunt, Pontificii, Calviniani, Photiniani, eandem miris modis lacerant; quibus est resistendum, & opera danda, ut veritas cœlestis constanter teneatur, ac custodiatur, contra hostes quoque veritatis animosè vindicetur & defendatur. (3) *Difficultas*: quo enim aliquid difficilius ac sublimius, hoc diligentius est quærendum. Scrutamur autem nos non aliquid, quod sensibus expositum, quod est ante pedes, & quotidie obvium, quippe cognitio hujusmodi manca est & imperfecta, sed *ὁμολογούμενον* & *magnum pietatis mysterium*, (Christum in carne manifestatum) *in quod* & *angeli gestiunt* *παρὰ κύψαι*: hoc mysterium qui cognoscit, is habet perfectam scientiam, nihil ultra requirit, neque sapientiam, neque virtutem, quia agnovit eum, in quo perfecta virtus atque perfecta sapientia. *Hoc est illud mirabiliter singulare, & singulariter mirabile*, quod Damascenus libr. 3. de O. F. cap. 1 dixit: *Omniū novorum maxime novum, quod solum novum sub sole*; de hoc mysterio Paulus memorat, quod sic se gesserit, ut *judicaverit, reliqua omnia existimare sese detrimentum propter eminentem scientiam Jesu Christi*. Atque hoc mysterium visum nunc est ad piam *διάσκεψιν* proponere. In quo ut feliciter versari valeamus, Tu, ó optime Christe, mentem & calamum ad Veritatis cognitionem salutarem dirige, inque veritate cognita conserva, verbum tuum est veritas. O Domine da salutem, ó Domine da prosperitatem.

Occasio §. 2. *Dixerat apostolus* in præcedentibus, cavendum esse Colossensibus, ne per Philosophiam, aut humanas traditiones à fide atque veritate semel agnita abducantur; hortatus erat Colossenses, ut, quemadmodum Christum susceperunt, ita nunc in ipso ambulare velint; nunc causam addit, cur dixerit, cavendam esse Philosophiam & humanas traditiones, suscipiendum autem Christum, sequendam illius esse Philosophiam

phiam & sapientiam, quam e caelo attulit & in terris docuit, quod Nolo vos sequi Philosophos, homines errantes & mendaces, quia volo vos sequi Christum, qui est prima veritas; nam *in illo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Ubi relativum *ἐν αὐτῷ* ad mysterium & doctrinam Evangelii referendum esse arbitrantur *Photiniani, hoc modo exponentes*; In ipso, h. e. in mysterio Evangelii vel ipsius doctrina, tota est divinitas, non aliqua illius particula, qualis suo modo vel in Philosophia, vel in hominum sapientum institutis, vel in disciplina Mosaica contineri videtur, sed omnis plenitudo divinitatis, id est, perfectissima Dei voluntas perfecte revelata. Cui interpretationi praesidium quaerunt ex antecedentibus. Ostendit Apostolus ibi, inquit, curam ac sollicitudinem suam pro Colossensibus, ostendit causam, cur tantam diligentiam ad Epistolam adhibuerit, scilicet, ut consolationem accipiant corda eorum, (intellige per doctrinam de Christo) ut sint compacti in charitate aut per charitatem, ut veniant ad omnem plenitudinem certitudinis intellectus, ad agnoscendum mysterium divinitatis. At vero ita textus convellitur ac laceratur. Quæ namque necessitas cogit, ut relativum *ἐν αὐτῷ* a propinquo nomine *Χριστῷ*, ad mysterium referatur, neglectis versiculis immediate consequentibus, qui si conjunguntur, plana nascitur explicatio. Sic autem ex iis concludimus: In eo habitat omnis plenitudo Deitatis, qui est caput omnis principatus atque potestatis, in quo circumcisi sumus, cui confepulti sumus in Baptismo, qui suscitatus est a mortuis, exspoliavit omnes principatus ac potestates. Atque is non est alius nisi Christus, id quod extra controversiam ponitur. Ergo relativum *ἐν αὐτῷ* v. 9. de nemine alio nisi Christo exponi potest. Ne dicamus, quod vocabulum *σωματικῶς* ad mysterium Evangelii minus recte quadret, quamvis enim Christus in Evangelio non amplius lateat sub typis, umbris, aut figuris, sed proprio suo corpore figuras illas impleverit, scriptura tamen ita nō loquitur, Christus est in Evangelio *σωματικῶς*. Conf. D. Bald. p. m. in Ep. ad Col. p. 135. 136. & seq.

§. 3. *In illo* (Christo,) ait Apostolus, habitat tota plenitudo *inhabita-*
divinitatis corporaliter. Vox Græca *κατοικεῖ*. non accipitur pro *inhabita-*
tio ipsa.

inhabitatione mystica Christi in suis fidelibus, qualis exprimitur Ephes. cap. 3. v. 17. ubi precatur Paulus κατοικήσει τὸν χριστὸν ἐν ταῖς καρδίαις τῶν ἁγίων ἐν ἐφέσω, siquidem hæc inhabitatione in sanctis, e. gr. in Petro vel Paulo, non facit, ut Petrus vel Paulus sit DEUS, id quod præstet inhabitatione τῆς λόγου in humanitate Christi. Vere namque dico: Filius Mariæ est *filius Altissimi*, Luc. 1. 32. Filius hominis est *filius Dei viventis*, Matth. 16. 16. *germen Davidis est Jehovab*, Jerem. 23. 6. *Aui pro inhabitatione huiusmodi*, quemadmodum Matth. 12. 44. Satanus dicit se reversurum in domum, unde erat egressus, ubi obsessi dicuntur οἶκος & habitatio Diaboli: *neque denotat brevem quandam & temporalem commorationem*, uti Hellenistica lingua οἰκεῖν quandoque dicitur habitare, qui ad aliquot dies tentorium alicubi defigit, aut aliquantulum alicubi commoratur, ac mox deinde locum mutat, uti accipitur 1. Maccab. 9. v. 73. Καὶ ἔσκησεν Ἰωνάθαν ἐν μαχμαῖς, καὶ ἤρξατο Ἰωνάθαν κτείνειν τὸν λαόν, καὶ ἠφάνισεν τὰς ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραὴλ: *Et habitavit Jonathan in Michmas, & cepit ibi judicare populum, & delevit impios ex Israel.* Quod hic Jonathan non multum temporis in Michmas commoratus fuerit, ex subsequenti capite 10. v. 10. constat. Sic Gen. Cap. 27. v. 44. LXX. habent, οἴκησον μετ' αὐτῆς ἡμέρας τινάς, *habita cum eo (Labano) dies aliquot*, pro quo verba Ebræa sic habent, ם'י'ט' ע'מ'ו' ת'ב'ש'י' commorare apud eum dies unos, id est, dies aliquot. *Pari ratione eam inhabitationem removemus, qua Deus olim habitavit apud arcam fœderis supra propitiatorium, qua habitatio typica saltem fuit, & umbratilis, ut aperte testatur Paulus Rom. 3. 25.* E contrario observamus hic inhabitationem μονότροπὸν & ἐξαιρέτων, quæ complectitur unionem & circumincessionem hypostaticam, & personalem proprietatem communicationem: ideoque Paulus vocem κατοικεῖν singulariter sibi elegit, ut non aliquam vulgarem inhabitationem intelligere videretur, sed substantialem, ita ut Deitas per unionem sui cum humana natura sit in Christo, quam inhabitationem Damascenus vocat περιχώρησιν, ut ita λόγος non hæreat in carne accidentario modo, ut vel adesse vel abesse possit, neque superficialiter ambæ naturæ sese attingant, sicut duo asseres conglutinati contingunt se quidem, neuter autem

autem alteri quicquam confert; sed existat in carne plenitudo Deitatis per hypostaticam περιχώρυσιν. Estque κατοίκησις ista non otiosa, sed operosa ἐν κατοικήματι, quod ex natura omnis κατοικήσεως patet in regno gratiæ & gloriæ. Quanto magis est hæc summa & penitissima κατοίκησις, summe communicativa? Vid. Balduin. Comment. in Coloss. p. 110. Disp. Giess. T. 7. d. XI. pag. 147. seqq. Ægid. Hunn. in Epist. ad Coloss. p. 662. Feurborn. Kenosigr. Sect. 3. p. 8. Chemnit. de duabus naturis in Christo, c. 6. p. 33.

§. 4. Πᾶν πλήρωμα Θεότητος, dicit Apostolus valde emphaticè, quod indicat totam divinitatem idiotismo Hebraico. Sicut enim plenitudo domus plena dicitur & perfecta domus. Num. 54. 13. plenitudo thuribuli plenum est thuribulum, Lev. 16. 12. plenitudo temporis, plenum & perfectum denotat tempus; Gal. 4. 24. Similiter hoc in loco plenitudo divinitatis significat plenam & perfectam divinitatem, essentiam divinam perfectissimam & sufficientissimam, cui nihil deest, nihil decedit, nihil accedit, nihil etiam decedere vel accedere potest, talem essentiam, quæ nullam habet imperfectionem, defectum, divisionem, aut partem extra partem, siquidem ubicunque est, tota existit, totalitate perfectissima & absolutissima, sine ullo respectu ad partes. Et quidem, quod annotandum, dicit ita πᾶν πλήρωμα, ut etiam πάντως, seu ὅλως: nam ubicunque est Θεότης, ibi πᾶσα est, sed non formaliter ita πάντως, ut se ibi totaliter exerat. Id enim hic fit.

§. 5. Vocem Θεότητος essentiam divinam designare, negant Photiniani. Quidam enim eam de voluntate Dei interpretantur, ut Socinus in disput. cum Erasmo Iohannis p. 25. Divinitas nihil aliud est, quam ipsius Dei voluntas, quam in Christo corporaliter omnem habitare, est totam eamque solidam in Christi Evangelio ejusque præceptis contineri. Volkelius lib. 3. de vera religione: Divinitatis nomine nec Dei, nec Christi natura, sed divine voluntatis notitia, Dei que colendi ratio intelligi potest & debet. Quidam, ut Eniedinus, de donis excellentibus exponunt, ea namque etiam inhabitare posse in homine, qui non est verus Deus, cujus gratia adducunt locum ad Ephes. cap. 3. v. 19. ibi enim πλήρωμα Θεῶν tantum insinuare donorum divinorum communicationem, ideoque & hoc loco

loco non ipsam essentiam divinam, verum dona tantum excellentissima intelligenda esse. Sed expositiones istæ sunt nullæ: Θεότητα namque significare voluntatem, quis nunquam ex textu persuadere poterit? Imo id adversatur textui; dicit enim Apostolus πάν πληρωμα, omnem plenitudinem inhabitare, omnem divinitatem plenam & perfectam, quicquid in illa est, vel quicquid illa intra se habet & ad eam pertinet, illud totum & omne κατοικεῖ, sequitur inde voluntatem unice non posse insinuari, quia voluntas revelata non est omnis plenitudo, nimis enim differunt: Omnis plenitudo & plena voluntatis revelatio. Præterea repugnat propria & nativa hujus vocis significatio, quæ nunquam exprimit voluntatem, vel ostendant Adversarii unicum illius exemplum. Neque probabunt adversarii per Θεότητα tantum intelligenda esse dona divina, quantumvis ex cap. 3. Eph. id evincere strenue laborent. Præterquam enim, quod loca sunt diversa, & voces utrobique non eadem, in quæstione est, an Deus tantum quoad dona habitet in sanctis? nos dicimus, & nobiscum Orthodoxi constanter assèrunt, Deum non tantum quoad dona in sanctis, sed ipsum quoque divinam essentiam inhabitare. Si enim in regno potentiae Deus non est procul Act. 17, 37. cur in regno gratiae? Habitare etiam per prius substantiam requirit, cum personæ tribuitur Conf. 2. Cor. 13. v. 5. Θεότητα vel Θεότητα autem habemus pro æquipollentibus, quamvis Beza in istis aliquod discrimen fingat, dicit enim Θεότητα attributa potius, quam naturam declarare, Θεότητα autem magis essentiam, quod tamen discrimen non est perpetuum, siquidem loca reperiuntur, ubi vox Θεότης, non minus, quam Θεότητος ad exprimendam essentiam adhibetur. Sap. 18, 19. dicitur lex Θεότης, lex divinitatis a Deo promulgata. Concretum frequentius occurrit Hiob. 33. v. 4. πνεύμα Θεῖον Hebraice dicitur אֱלֹהִים. Sic τὸ Θεῖον Actor. 17. redditur a Syro Arabe per abstractum, quod Θεότητα notat vel essentiam divinam. Conf. Rom. 13. Adde quod dona divina non sunt absque Dei essentia; Imo quod vocabulum σωματικῶς inhabitationem omnis Deitatis in Christo ab inhabitatione Dei in sanctis distinguat. Sed & illud ex superioribus reponendum

dum

dum est, quod illa inhabitatio, quod tantos effectus habet, quanti huic tribuuntur, sola donorum collatione non perficiatur. Nostræ sententiæ accedunt potiores Interpp., qui non aliter θεότητι quam de essentia divina interpretantur. Arabs reddidit per تارة, Syrus per اثاره, quæ voces usurpantur de essentia divina. Similiter intellexit Ignatius, dum in Ep. ad Trallianos corpus Christi vocavit σῶμα ἔχων τὸν Θεὸν ἐνοικηδόν. Ita Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, Hieronymus in h. l. & passim alii Patres. Notandum autem, Deitatem hoc loco non accipi absolute, prout est communis omnibus tribus personis Deitatis, sed relate, quatenus est determinata singulari charactere hypostaseos, sicut & attributa divina essentialia in communicatione idiomatum non absolute, sed determinate ἐν τῷ λόγῳ considerantur. Totam ergo Deitatem in persona τῆς λόγῳ considerata in Christo habitat, quæ inhabitatio est & filii Dei incarnatio, & penitissima, profundissima, plenissimaque, omnis majestatis divinæ in assumpto habitaculo exercitio. Non enim tanquam transiturus habitare, assumptam humanitatem destinavit, sed ut permanens: nec ut domicilium separatum, sed ut conjunctum & nusquam atque nunquam deponendum, verum semper exornandum, semper implendum; nec ut domicilium tantum, sed etiam ut organon, per quod perficiat Deitatis opera.

§. 6. Addit Apostolus, omnem plenitudinem Deitatis in Christo habitare σωματικῶς, quæ particula non prorsus omitterenda, quippe quæ ad unionem personalem describendam primario adhibetur. Vulgo jam σωματικῶς exponitur Personaliter, ex usu Græcæ lingvæ. Græci enim σώματα vocarunt, quos nunc vocamus personas. Ut Gen. 34, 29. reddiderunt σώματα, masculinum cæcum in domo, item omnes animas ac domus, & Genes. 47. 12. præbuit cibum toti familia Patris sui κατὰ σώματα & Tob. 10. 11. servi & ancillæ vocantur σώματα. Melior tamen illa videtur explicatio, qua τὸ σωματικῶς refertur ad subiectum. Quamvis enim non male quoque refertur ad terminum Ad quem, hoc sensu: λόγῳ ita est in corpore, vel in carne assumptâ ita habitat, ut cum eâ unum hypostamenon, vel unam personam constituat, tamen ad subje-

ctum

B

ctum

Etum relata vox hæc mysterium satius exprimit, ut intelligi-
tur, Deitatem λόγος habitare in carne assumpta, ceu in pro-
prio corpore & in proprio suo templo. Quomodo Patres
interpretati sunt. Sic Athanas. Orat. 4. contra Arrianos,
p. 244. *Corporaliter habitat divinitas in carne, quæ verba idem va-
lent ac si diceret, cum DEUS esset, proprium quoddam corpus cepit,
eoque utens ut organo, homo factus est propter nos, ideo & ea opera,
quæ sunt propria verbi, utpote mortuos excitare, cæcis visum resti-
tuere hæmorrhousam sanare, & omnino & corporis ministerio pera-
gebantur, illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus DEI.
Nisi in opera Deitatis verbi per corpus patrata fuissent, nunquam ho-
mo Deificatus esset.* Sic etiam Cyrillus posteriore libro ad Re-
ginas: *In quo igitur habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter?
Itaque proprie quidem & seorsim in natura verbi putare hoc esse fa-
ctum valde stultum foret. Nam perinde esse ac si diceret, quod ipse
Unigenitus habitasset in seipso.* Et lib. 12. Thesaur. c. 15. *Corpus
Christi templum est vere, in ipso enim voluit habitare tota plenitudo
divinitatis.* Theodoretus de Antichristo, similiter τὸ σωμα-
τικῶς exponit de humana natura his verbis: *Ἐ ἀνθρώπων τῆς
ἡμερικῆν τινὰ χάριν τῆ ληφθεῖς εἰ φύσει δέδωκεν, ἀλλὰ πᾶν τὸ
πλήρωμα τῆς θεότητος κατα τὸν ἀπόστολον εὐδόκησεν ἐν αὐτῇ κα-
τοικῆσαι.* Oecomenio idem est, ac ἐν σαρκῶς, σεσαρκωμένως.
*Πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ἐτε δεξι, φήσω ὁ θεὸς λόγος, ὅτι
ἐν αὐτῷ κατοικεῖ, ἢ πῶς ἔσεται, ἢ τῆ σαρκὶ ἑστωδῶς κατοικεῖν,
τὸν θεὸν λόγον, ἢ κατ' ὑπόστασιν ἐν τῇ ἡνῶθα.* Damascenus
reddit σωματικῶς, τὸ τ' δεξι ἐν σαρκὶ αὐτῆ, corporaliter, h. e.
in carne ejus Germanica Lutheri versio habet leibhaftig/
quasi dicas, plenitudo Deitatis habitat in Christi corpore
ceu θυρεῶ & receptaculo. Male autem Toftanus in glossis
Biblicis interpretatus est, *essentialiter, wesentlich*: qualis enim
sensus, in Deo, vel Deitate plenitudo Deitatis habitat corpo-
raliter, i. e. essentialiter: ita potest aliquid in seipso habitare,
quod tamen non sine ingenti absurditate dicitur. Etenim
omnis habitatio duo involvit, inhabitans & habitaculum
ipsum. Id quod inhabitat, est πλήρωμα τῆς θεότητος. Id
vero, in quo illa plenitudo habitat, est humana natura, pro-
pter quod additur σωματικῶς. Aliud igitur est, quod inha-
bitat

bitat, aliud quod inhabitatur. Sicut recte huc accommodatur locutio illa Achanasiana, quod ἡ ψυχὴ ἐνσωματῆσθαι, & τὸ σῶμα ἐμψυχῆται, anima incorporatur, & corpus inanimatur. Apud Damascenum est ὁ λόγος ἐνσαρκωθεὶς, Dei filius incarnatus & inhumanatus, & ἡ σὰρξ λογωθεῖσα, θεωθεῖσα, caro verbificata, Deificata.

§. 7. Ex quibus facile intelligitur, quæ sit vis vocis σωματικῶς. Photiniani, quorum communis est sententia, Deum non esse incarnatum, τὸ σωματικῶς multifariam interpretantur. Præprimis Enjedinus insigniter Emphasin hujus vocis pervertit. Primo σωματικῶς idem ei est, ac vere, perfecte, non enim, quem admodum olim in populo Judaico, in arca fæderis, in Prophetis, in templo Salomonis, Deitas inhabitat, sed vere & quasi palpabiliter. Hoc enim, inquit, vox illa vult, quasi diceret: Deum olim habitasse umbratice, τυπικῶς, spiritualiter, particulariter, in Christo autem vere, perfecte, abundantissime & totaliter p. 358. Deinde idem ac crasso modo, ut sit sensus: non crasso modo, hoc est, qui vulgo videatur stulta esse, inhabitat omnis plenitudo Deitatis Christo crucifixo, seu ut ut mundum crassam esse & corporalem putet Evangelii & Christi prædicationem, tamen ea est divinæ plenitudinis in CHRISTO inhabitatio p. 361. Porro fingit hanc glossam, quasi Apostolus sententiam suam de Christo correxerit per vocem σωματικῶς, quasi dicat, ut nos crasso modo loqui solemus, ut corporaliter, ut ruditer cum vulgo loquar, ut solemus de Deo nos homines corporales & carnei p. 362. Denique σωματικῶς etiam interpretatur de Spiritu S. qui in Christum descendit corporali speciei quod nulli Prophetarum ac Sanctorum contigerat, & hoc apud Paulum est, omnis plenitudo Deitatis in Christo habitat corporaliter h. e. Spir. S. descendit in Christum corporali specie p. 361. 362. Vid. Bald. in Epist. ad Col. p. 138. 139.

§. 8. Sententia vera & constans est, terminum σωματικῶς ideo fuisse ab Apostolo additum, ut exprimeret, inhabitationem divinæ naturæ factam esse in humana natura, tanquam in eo corpore, cui non fuerit similiter ullum inhabitatum, quod corpus fuerit omnium aliorum terminus, in quibus suam olim præsentiam demonstravit Iesus, quibus & affuit, sed nulli tanta cum unione & propinquitate, & velle Apostolum hoc dicere, in Christo ratione carnis, seu in assumpta carne

ne Christi inhabitare illam æternam τὸ λόγος Deitatem cum
omni sua plenitudine, tanquam in proprio suo templo, a quo
nunquam sit separata, sed perpetuam in ea habeat immanen-
tiam, atque sic inhabitationem Deitatis suam habere ad as-
sumtam naturam irrefragibilem respectum. Qui sensus
facit ad scopum & propositum Apostoli, qui voluit o-
stendere c. 1. 20, 21. unde hoc habeat Christus, quod per
corpus sanguinis ejus, per corpus carnis ejus, ac per
corpus mortis ejus sumus reconciliati, nimirum ὅτι eo
quod ἐν αὐτῷ κατοικεῖ in ipso habitat omnis plenitudo
Deitatis corporaliter. Huc facit *Metaphrasis Syriaca*, quæ
vox σωματικῶς redditur per *guschmonoith*, corporaliter, a
nomine *guschma*, corpus, cæteroquin, si voluissent Syri ad-
verbio *personaliter* uti, tunc reddidissent per vocem *kenumoith*,
qua terminum personalitatis exprimere solent. Accedit
vox κατοικεῖν, quæ personam & substantiam respicit, ideo-
que de doctrina accipi non potest, nec unquam scripturæ
phrasi accipitur. Nam non dicitur in scriptura, quod vel
Deus, vel Deitas inhabitet in doctrina vel Evangelio. Quid
enim hoc est, in Evangelio habitat πᾶν πλήρωμα τῆς Θεότη-
τος, quis non videt hoc absque Scriptura dici.

§ 9. Expositiones *Enjedini* perversissimæ sunt. Non satis
expressa est sententia, quæ σωματικῶς interpretatur *vere, rea-*
liter, perfecte, eamque opponit umbræ. Quamvis enim ple-
nitude divinitatis non umbratili, sed vera & reali ratione ha-
bitet in Christo, superadditur tamen aliquid vero & reali,
quia non omne, quod dicitur vere, dicitur corporaliter.
Etenim Deum esse Spiritum invisibilem, æternum, infini-
tum dicitur vere & realiter, sed corporaliter prædicari nega-
tur. Ita Spiritus S. in sanctis habitat vere & realiter, sed cor-
poraliter in iis habitare non dicitur. Crassa est & violenta
contorsio, cum ait σωματικῶς idem esse, ac crasso modo, si-
quidem nullibi sic accipitur, nulloque nititur hæc glossa fun-
damento, supponit autem pro vero, quod adhuc est in quæ-
stione, negamus enim Apostolum id dicere velle, in doctri-
na Evangelii voluntatem Dei perfectissime contineri. Si
vero demus, Apostolum agere de doctrina Evangelii, quis
sensus

fensus ille, quæ cohærentia verborum? In Christo habitat
 omnis plenitudo Deitatis *σωματικῶς*, h. e. licet crassa & cor-
 poralis putetur Christi & Evangelii prædicatio. Non ma-
 joris acuminis est interpretatio de Spiritu S. qui *σωματικῶ*
εἶδεν dicitur descendisse; quia non vult Apostolus describere
 visibilem descensum Spiritus S. super Christum, sed inhabita-
 tionem divinitatis in Christo, propter quam in ipso solo re-
 perimus omnia sufficientia ad salutem, ergo per vocabulum
σωματικῶς non potest intelligi descensus Spiritus S. super
 Christum. Illud autem nimis dilutum est, quando fingit, ac
 si Apostolus mentem suam correxerit, dixeritque ut crasse,
 ut humano more loquar: Siquidem Apostolus, quando phra-
 sin istam, *ut humano more loquar*, vult usurpare, non dicit cor-
 poraliter, sed *ἀνθρώπινον λέγω* Rom. 6, 19. κατ' ἀνθρώπινον
λέγω Gal. 3. 15.

§. 10. Expedivimus huc usque pro instituti nostri ratio-
 ne verborum *ἐξήγησιν*, accedimus jam ad ipsam doctrinam
 de unione duarum naturarum hypostatica.

§. 11. In explicatione vocum autem non est animus diu in-
 inhærere. *Unionis nomen* qui audit, facile intelligit unionem
 dictam esse ab uniendo, quod est conjungere duas vel plures
 res distinctas, ut ex illis unum quiddam constituatur. Un-
 de Suidas & Phavorinus *ἔνωσις δὲ συνδρομή κοινωνική τ' διε-*
σώτων πραγμάτων, unio est concursus communicabilis rerum distin-
ctarum. *Hypostatica* dicitur a Græco nomine hypostaseos,
 quod est *ἀπὸ τῆς ὑφίστασθ*, *statuere, collocare*, ac *πολυσήμως* ac-
 cipitur *pro fiducia* Hebr. 11. 1. *pro argumento*, 2. Cor. 9. 4. *pro exi-*
stentia simplici apud Damascen. Dial. c. 42. quomodo idem est
 substantia & hypostasis, hic autem indicat *ὑφιστάμενον νοερόν*
ein selbständiges und verständiges Wesen. *Latini* utuntur
 voce *persona*, vocantes unionem hanc personalem, non quasi
 persona personam, vel natura naturam, vel natura personam,
 qua de re Scholastici disputant, assumserit, sed *ob terminum*
ἑνοποιόν, qui est *τῆς λόγῃς ὑπόστασις*, siquidem duæ naturæ in
 hac hypostasi uniuntur & conjunguntur, vel ob singularem
 absconditum & inusitatum unionis modum, quia non essen-
 tialiter, non accidentaliter, non naturaliter &c. sed modo

nobis plane imperscrutabili λόγος & carnem assumpsit, λόγος
ιδιοσύστατος & carnem ἀνυπόστατον, persona naturam personali-
tate destitutam. Pii veteres unionem hanc vocarunt ἐνσω-
μάτωσιν ex Col. 2. 9. h. e. incorporationem, ἐνσάρκωσιν ἢ
carnationem ex Joh. 1, 14. 1. Tim. 3. v. ult. Hebr. 2, 14. & ἐνιαύ-
θρωπῆσιν, q. d. inhumanationem. Hinc Christus Θεάν-
θρωπος, ἀνθρώποςθεός, Deus homo, homo-Deus. Atha-
nasilus varias habet Appellationes, οἰκονομίαν σωματικὴν ἐπι-
φάνειαν ἐν σαρκὶ φανέρωσιν, ἐνσώματον παρεσσίαν, μετενσωμάτω-
σιν, ἐνωσιν λόγου πρὸς σάρκα, προσλήψιν σαρκὸς, συγκατάβασιν.
Damascenus appellavit περιχώρησιν. Vid. Chemnit. de dua-
bus naturis in Christo p. 41. 42. seqq. Gerhard. Exeg. p. 1245.

§. 11. *An detur unio personalis, ex iis quæ hæcenus dicta sunt, manifestum esse potest.* Nam si tota plenitudo divinitatis in Christo habitat corporaliter, si inhabitatio illa Deitatis est incorporatio, incarnatio, inhumanatio, nemo facile unionem personalem negabit. Ita sane est, si excutiantur omnia Veteris & Novi Testamenti loca. Prædicta fuit unio hæc in V. T. per Prophetas: in N. T. declarata per Apostolos. Obvia sunt ex utroque dicta. Vaticinium insigne est Esa. 9. 6. *Parvulus natus est nobis & filius datus est nobis, & principatus factus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, Pater æternus, Princeps pacis.* De Messia hæc esse intelligenda, patet ex c. 4. 15. 16. Matthæi, ubi verba Esaiæ ad Christum accommodantur: *Terra Zabulon & terra Naphthali &c.* Notamus autem duo ex his Prophetæ verbis, primo quod dicit, puerum nobis esse natum, deinde quod hunc puerum ait esse Deum, & Patrem æternitatis, sane si filius Dei, qui nominatur Deus, & est *Pater æternitatis*, & simul est in tempore *parvulus natus*, oportet eum esse incarnatum. Ita vaticinatus est de Christo Michas cap. 5. 2. *Et tu Bethlebem Ephrata parva es in millibus Juda, ex te egredietur, qui sit Dominator in Israel, cujus egressus ab initio, & a diebus æternitatis.* Unde argumentari proclive est. Quicumque fuit a diebus æternitatis, nascitur tamen & egreditur in tempore homo, is vere incarnatus, vel carnem humanam assumpsisse censendus est. Atque filius Dei fuit a diebus æternitatis, egreditur tamen in

in

in

in tempore simul ut homo. Ergo vere incarnatus, & carnem humanam assumisse censendus est. Illustris est Prophetia Jeremiæ cap. 20. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex & sapiens erit, & justitiam & judicium faciet in terra, & hoc est nomen, quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra.* Hic vocatur Messias Jehovah, & nihilominus dicitur germen Davidis, unde concludimus, eum necessario incarnatum, & consequenter cum carne unitum esse. In N. T. descriptiones etiam exstant valde illustres, præcipue vero dictum nostrum Apostolicum Col. 2, 9. valde insignem unionis hypostaticæ descriptionem exhibet, ut constat insuper principalis locus Joh. 1, 14. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Quid enim aliud dicitur, nisi Filium Dei verum & æternum Deum factum esse hominem. Caro enim denotat hic non unam humanæ essentiæ partem, neque etiam affectiones, sed totam & integram naturam humanam, nec *verbum* evanescens, sed coessentialiale illud verbum Patris, uti ex v. 1. hujus capituli videre est. Vid. Disp. Excell. Dn. Præsidis de Agno DEI tollentis peccata mundi, th. 20. & seqq. Ita de Unione Hypostatica agit locus 1. Tim. 3, 16. *Deus manifestatus est in carne,* in Græco est ἐφανερώθη qua voce utitur Apostolus, quando agit de apparitione τῆς λόγῃ in carne, vid. 1. Joh. 1, 2. c. 3, 8. unde propositio talis resolvitur: Magnum est mysterium, quod Filius Dei homo factus est. Talia loca passim occurrunt. Hebr. 2, 14. *Sicut pueri communicaverunt carni & sanguini, ita & Jesus particeps factus est eorundem Gal. 4. 4. Filius Dei missus natus est ex muliere. Rom. 1, 3. Filius Dei genitus est ex semine Davidis secundum carnem.* Ex quibus Scripturæ testimoniis certum est, duas illas Christi naturas in unione personæ unitatem unitas esse.

§. 13. *Causa efficiens Unionis Personalis, ratione principii unionem considerando est tota SS. Trinitas.* De Patre legitur quod miserit filium in mundum Joh. c. 10. 36. quod miserit filium suum natum ex muliere Gal. 4, 4. quod miserit filium in similitudine carnis peccati Rom. 8, 3. quam missionem a Patre Christus passim allegat Joh. 6. 38. c. 8, 16. c. 7. 28. De Spir. S. dicitur Luc. 1. 35.

Spi-

*Spiritus S. superveniet tibi. Spiritu S. Christus inungitur non ad mensuram, Job. 3, 34. Heb. 1, 9. Act. 10, 38. Solus autem filius formaliter & terminative in personæ proprietate carnem suscepit, in carnem venit, caro factus est, eidem participando, in eam manifestando, eam in personæ unitatem assumendo, Luc. 1, 35. Joh. 1, 14. c. 6. 38. 41. 1. Tim. 3, 16. Hebr. 2. v. 14. 1. Joh. 4, 2. Non secus, ac si tres puellæ vestem conficiunt, quam tamen uni saltem induunt & adoptant: ubi actio quidem illa, qua vestis textitur & induitur, omnibus tribus est communis, attamen non omnes tres, sed una tantum est induta tunica, quia actio hæc non in tribus, sed una ex tribus persona terminatur. Hinc Augustinus serm. 119. de tempore: *Verbum caro factum est, inquit, non Pater, non Spiritus S. sed carnem filii tota Trinitas fecit, Inseparabilia enim sunt opera Trinitatis* Et serm. 3. de tempore, *Cum una sit Deitas, una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus S. sed majestate, non susceptione* Concil. Tolet. sext. art. 1. *Cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ.**

§. 14. Materia unionis sunt duæ naturæ, divina τὸ λόγος, & humana ex Maria virgine assumpta, ut ex Scripturis divinis, Symbolo Apostolico, Niceno, Athanasiano, Ephesino, Chalcedonensi & Augustana Confessione manifesto constat. *Duæ, inquam naturæ non communes, sed ut vulgo loquuntur, characterizatae, aut ad individuum contractæ & limitatae, divina natura filii & hæc humana natura de Spiritu S. in utero virginis Mariæ concepta.*

§. 15. *Vera Jesu Christi Deitas firmissimis argumentis ex scriptura demonstratur ita, 1. Qui absolute & simpliciter vocatur Jehovah & Deus, is revera Deus est. Atqui Christus simpliciter & absolute vocatur Jehovah & Deus. E. Christus revera DEUS est. Major est manifesta, & fundatur in his Scripturæ locis Esa. 42, 8. Exod. 3. 15. c. 6. 3. Hos. 12. 5. Psal. 83, 19. Neque negabitur a Pseudochristianis, cum & Rabbini, alioquin cæci, eam agnoscant: Ita namque Rabbi Moses Maimonides in More Nebuchim part. 1. c. 61. De nomine Jehovah disse-*

disse-

differit. *Omnia, inquit, nomina Creatoris in libris omnibus in-*
venta ab affectibus derivata sunt, prater unum nomen Jehovah, &
est nomen appropriatum Creatori altissimo, & propter ea vocatur
Schemhamphoraseb, i. e. ipsum Est significans, & ostendens Creato-
ris substantiam & quidditatem significatione & ostensione perfecta.
 Conf. Rev. & Excell. Dn. Præs. disp. de æterna λόγος genera-
 tione, th. 20. *Assumptio confirmatur ex iis Scripturæ locis, in*
quibus expresse Jehovah & Deus vocatur, ut Jer. 23. 5. Ecce
dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum & re-
gnabit Rex, & hoc est nomen quo vocabunt eum, Jehovah justitia
nostra Rom. 9. 5. Christus ex Patribus secundum carnem, qui est
super omnia DEUS benedictus in secula. Confer. Esa. 45, 21. 22.
23. 24. cum Rom. 14, 11. Es. 6, 1. 9. 10. cum Ioh. 12, 39. 40. 41.
Pl. 45, 7. 8. Heb. 1, 8. 9. Num. 14, 21. 22. cum 1. Cor. 10, 9. Esa.
40, 3. & Matth. 3, 3. Luc. 3, 4. Ioh. 1, 23. Sed excipiunt ad singula
Adversarii; quorum tamen exceptiones singulas persequi
non libet. Ista tantum dicta excutiemus, quæ sunt Jerem. 33.
16. & Rom. 9. 5. cum videantur aliquo modo difficiliora. Circa
locum Jerem. 33, 16. non recte incedunt & Photiniani & Pon-
tificii (1.) Photiniani utpote non de Christo, sed de Juda &
Jerusalem eundem intelligentes. Ita namque Georgius En-
jedinus textum Hebræum exponit:

נִימִים הָהֵם תּוֹשֵׁעַ יְהוָה וִירוּשָׁלַם תִּשְׁכֵּן
 לְבָמֶה וְהָ אֲשֶׁר יִקְרָא לָהּ יְהוָה צֶדֶק קָבוֹ
 h. e. in diebus ipsis servabitur Juda, & Jerusalem habitabit
 in fiducia, & iste, qui vocabit eam Jehovah justitia nostra. Si-
 militer Ostorodus ad h. loc. Hisce Nostratium nonnulli re-
 sponsum לְהָ, ad vocem Jehovah referunt, & usitatum præ-
 tendunt Enallagen: sed multo rectius illi faciunt, qui cum
 Hierosolyma construunt hoc sensu: *Et iste, qui vocabit vel con-*
vocabit eam (Hierosolymam) i. e. Ecclesias, Messias nimi-
rum, Jehovah, est justitia nostra. Sensus hic quoque planus est
& perspicuus: vocabitur, seu predicabitur, quia verbum נָפָא sæ-
pe significat id, quod annuntiare, predicare, vel ore vel scriptis
Esa. 40, 2. Jos. 8, 34. Deut. 25, 10. predicabitur, inquam, hoc Hie-
rosolymis, Jehovah justitia nostra. Unde das ist/ daß man ihr pre-
digen

digen wird/der Herr ist unser Gerechtigkeith. (2) Pontificii, & quidem *Tordonus Huntlaus*, qui locum hunc putat esse depravatum a Judæis, ne cogantur fateri Christum esse Deum, qui vulgatus Interpres & LXX. vertunt, vocabunt, eum scil. Christum, non eam scil. Hierosolimam; quam obrem recte refutatur a suo socienno Cornelio a Lapide, qui ex *Francisco Luca in notis* demonstrat, hic non Hebræum, sed Latinum textum esse corruptum, & S. Hieronymum non eum, sed eam vertisse, quia undecim exemplaria manuscripta habent eam, non eum. Præterea Venetam Editionem Chaldæum 477, id est, eam legere. Sed impingit deinde ipse quoque *Cornelius a Lapide* circa explicationem hujus loci, cum ait: Nomen Christi, illi impositum c. 23, 6. communicatur hic Ecclesiæ, imo Christus ipse suum nomen suæ Sponsæ de more communicat, ut ipsa sponsum semper in ore habeat, laudet, celebret, dicens: Dominus Deus est justitia mea, id est, autor justitiæ meæ. Quæ explicatio sane non recto stat talo, siquidem pugnant, Christum nomen suum Ecclesiæ communicare, & Ecclesiam non se, sed Christum vocare Jehova justitia nostra. Si Christus est justitia nostra, non Ecclesia, quomodo nominis hujus communicatio esse potest? Aliud est nomen ipsum, aliud vero rem eo nomine intellectam alicui passive & correlative communicare, sicut hoc loco fit. Christus est justitia nostra, nos vero sumus justi per imputatam justitiam. Aliud est communicatio fructus nominis, aliud ejusdem prædicatio. Conf. D. Glass. Phil. S. l. i. tract. p. 158, D. Gerhard. Exeg. p. 643. & D. Feurb. Anti-Ostor. disp. ii. p. 191. 192. D. Pappum c. 33. in Jerem p. 107. Balduin. refut. Catech. Arrian. p. 104. Corn. a Lap. in Jerem.

§. 16. Ad dictum Rom. 9, 5. tria Photiniani excipiunt; i. ideo Deitatem inde probari non posse, quoniam is, qui vocatur DEUS, dicitur esse ex Patribus secundum carnem. Resp. Ita quidem rationi videtur, a veritate tamen idcirco non est alienum; qualis enim consequentia, quoniam is, qui appellatur Deus, est ex Patribus secundum carnem, ergo non est verus Deus? anne ideo quia rationi videtur absolum, eum, qui est ex Patribus secundum carnem, esse DEUM, is DEUS non est? ergo

ergo nominent alium, quem D. Paulus benedictum in secula nominavit. At vero Paulus appellat eum, qui ex Patribus est *secundum carnem*, Christum. *Deinde ajunt*: distinguenda esse verba priora a posterioribus, & quia post voces τὸ κατὰ σάρκα finiatur sententia, punctum esse figendum, sequentia vero connectenda hunc in modum: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητός, ut ita nova incipiat periodus, quasi dicat: Is qui supra omnia est Deus, sit benedictus in secula. *Sed unde probatur*, post vocem σάρκα punctum esse scribendum? Sane id est *contra fidem omnium codicum & correctissimorum exemplarium, & antecedentium & consequentium nexus tam abruptam & subitam exclamationem in fine poni solitam non admittit*. Syrus aperte illa verba ad Christum refert. *Qui est &c. Qui est Deus, qui est super omnia, cujus sunt laudes & benedictiones in secula seculorum.* (3.) inquit, non inveniri vocabulum Θεός, apud Hilarium in Enarratione Ps. 122. & Cyprianum lib. adversus Iudæos 1. c. in citatione hujus loci. Resp. concedi posse vocem Θεός in Hilario & Cypriano librorum incuria prætermittam esse, veluti res ipsa ostendit, ideo enim hic locus citatur, ut ex eo divinitas Christi demonstraretur. Atamen Tertullianus hanc vocem habet, & ex illa disputavit lib. de Trin. adversus Praxeam. c. 13. & Athanasius in disp. adversus Arrium. Vid. Bellarm. l. 1. c. 6. de Christo Gross. Vind. Script. S. in Epist. ad Rom. Firmisimum autem ex hoc loco pro divinitate Christi necitur argumentum: Quicumque est super omnia DEUS benedictus in secula, is verus Deus Rom. 1, 25. Atqui Christus Rom. 9, 5. dicitur Deus benedictus super omnia in secula. E. Christus est verus Deus. Pro stabilienda majore, non immerito quæritur, cur ista verba Rom. 1, 25. æternum Deum definiant, quando Patri tribuuntur, non autem quando Rom. 9, 5. filio? siquidem eadem ratio hic, quæ ibi; describitur isthic creator, hic autem filius. Conf. Flacius gloss. compend. in Ep. ad Rom. Bald. refut. Catech. Arrian. num. 218. Marlor. in Ep. ad Rom. 9, 5. Meisn. χειρολ. 5. p. 315. Feurb. Anti-Ostord. VI. p. 83. Brentius in Epist. ad Rom.

§. 17. II. *Cui essentialia Dei attributa tribuuntur, is est verus Deus: ratio, quia attributa divina in se ac per se considerata sunt realiter, & simplicissime una cum divina essentia. At Christo talia attributa tribuuntur. Omnipotentia Apoc. 1, 8, 1. Cor. 1, 24. Omniscientia Col. 2. 3. Matth. 11. 19. Divina presentia Matth. 18, 20. c. 28. 20. Aeternitas Ioh. 1, 1. Mich. 5, 2. Hebr. 13, 8. Circa quam in specie notandum, quod ipsimet adversarii Photiniani agnoscant, ex aeternitate divinitatem filii immote demonstrari. Ostor. in Instit. Germ. c. 8. Si demonstrari posset Christum fuisse ab aeterno, simpliciter ex eo concludi posset, quod habeat divinam naturam, h. e. quod sit unus ille verus DEUS. De qua unicum tantum videbimus locum Ioh. 8. 58. Antequam Abraham erat, ego sum. Non autem tam absolute & simpliciter ex eo argumentamur: Christus fuit, antequam Abraham fieret, ergo est ab aeterno: Siquidem & Adam & Eva ante Abraham existerunt, & tamen non fuerunt ab aeterno. Potius ita concludimus: Quicumque est antequam Abraham fieret, is secundum aliquam naturam est ante Abrahamum; vel is, cum praeter aliquam longe post factam originem in tempore, nullam aliam legatur habuisse, aliquam habuit existentiam extra tempus. Atqui Christus est antequam Abraham fieret. E. secundum aliquam naturam est ante Abrahamum; illa autem natura non humana, neque angelica. E. divina. Ad dictum hoc Ostorodus bifariam excipit, primo, hic nullo verbo fieri mentionem aeternitatis, sed tantum significari, quod Christus prius fuerit, quam Abraham fieret, ideoque aeternitatem ex hoc loco demonstrari non posse, utpote de qua nihil in textu. Resp. distinguat Ostorodus inter id, quod κατὰ τὸ ρητὸν & κατὰ διάνοιαν alicubi continetur. Verum est, aeternitatem nominatenus in textu non esse expressam, falsum autem κατὰ διάνοιαν ibi non contineri. Id quod ita probatur: Negant Judaei Christum fuisse antequam Abraham fieret, cum enim tunc nondum extitisset, quia nondum habuerit 50. annos, refellit illos Christus, dicens: Tantum abest, ut ipse tempore Abrahami nondum extiterim, ut & etiam, antequam Abraham fieret, immutabiliter sim, est autem ante Abraham non ut homo,*

homo,

homo, ergo ut Deus. Quæ *διάνοια* confirmatur inde, quod Iudæi, cum Christus hæc diceret, illum tanquam blasphemum lapidibus obruere voluerunt. *Secundo excipit Ostorodius*, & ait inspicienda esse verba textus, quæ ita sonant: *Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι: Wahrlich / warlich / ich sage euch / ehe denn Abraham ward / bin ich.* h. e. Ego sum lux mundi, seu Messias, priusquam Abraham fiat, nempe Pater multarum gentium. Iam vero Abraham non est factus Pater multarum gentium antequam gratia DEI in Christo manifestata in multas gentes redundaret, quippe quod Abrahamus unius tantum gentis ante Pater fuit. Et hanc sententiam nominat *Catechesis Rakovienfis* admodum egregiam, & quidem adeo egregiam, ut *Faustus Socinus* scribat, sententia hac nihil esse subtilius aut verius, quam Patruus ejus *Lælius Socinus*, post multas preces a Christo impetravit & quæ plane sit divina. Sed absurda rectius & inepta dicitur, ut pote quæ *contra totam textus coherentiam*. Ita procedimus: *Uti se habet Abraham. v. 57. ita quoque se habet v. 58.* At v. 57. non attenditur Abraham *in esse relativo ad gentes*, sed *in esse absoluto*. Ergo quoque v. 58. Propositio patet, alias Christus fallaciam alieni commisset. Assumptio probatur: dicunt Iudæi v. 27. *Christum non vidisse Abrahamum, quoniam nondum habet 50. annos:* ubi non potest intelligi *esse relativum ad gentes*, sane Iudæi istam responsionem risu excepissent, si dixisset Christus: *ante meam mortem, ante resurrectionem meam ex mortuis, quando Abraham fiet Pater multarum gentium, Ego sum: relinquitur ergo individuum illius hyphistanon & esse absolutum.* Confer. *Glaff. Phil. S. 1. 3. p. 375. Brochm. T. 1. p. 645. Feurb. Anti-Ostor. disp. IX. p. 150. Barrad. in 4. Evang. l. 1. c. 21. Bell. de Christo l. 1. c. 8. Balduin. refut. Catechism. Arrian. p. 114. Affelm. disp. de pers. Christi, Meisn. Christol. p. 13. Disp. Witteb. T. 1. disp. 13. p. 846. 847.*

§. 18. III. *Qui cum Patre est ejusdem essentia, is est verus DEVS.* Atqui Christus cum Patre est ejusdem essentia. E. Christus est verus Deus. Major sua luce radiat. Minor ex dicto Ioh. 10. 30. probatur. *Ego, inquit Christus, & Pa-*

ter unumsumus, quod non tantum de concordia & consensu, sed etiam imprimis de essentia intelligendum est, i. Ioh. 5, 7. quia una est tribus illis personis ex æquo communis divina essentia, unde eadem illis attributa & operationes & effecta *ἁρεώθη* tribuuntur. Si de solo consensu Christus hic locutus esset, non accusassent ipsum Iudæi blasphemiam, dicentes v. 33. Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum DEUM, quamobrem intellexerunt, ipsum divinitatem sibi tribuere, quod hodie non intelligunt Photiniani. *Nec obstat locus* Ioh. 17, 21. ubi orat Christus pro credentibus, ut & ipsi unum sint, quemadmodum & ipse & Pater unum sunt. *Distingvimus enim inter similitudinem & equalitatem.* Christus quidem orat, ut sancti sint unum, sicut ipse & Pater, sed id non est intelligendum de omnimoda & uniformi æqualitate, sed similitudine, cum qua consistit differentia: Simile enim non est idem. Confer similem phrasin Levit. 11, 44. Matth. 5, 48. & Luc. 6, 36. Licet igitur inter homines credentes non sit unitas essentiae numerice unius, sed consensus & concordiae; tamen inter divinas personas est unitas divinae essentiae numero unius, i. e. simplicissimæ & absolutissimæ unius. Vid. Feurb. Anti-Ostor. d. 4. p. 55. f. 3. p. 187. Gerh. T. 1. p. 342. Walth. Harm. Bibl. p. 887. Balduin. refut. Catech. Arrian. p. 219.

§. 19. Porro uti Christus est verus Deus, ita etiam *est verus homo*, quæ humanitas ita demonstratur. Cui 1.) tribuitur appellatio hominis, 2.) partes hominis essentialis, 3.) propria hominum *πάθη* 4.) propriae hominum operationes & effecta, is est verus homo. Atqui Christo hæc omnia tribuuntur in Scripturis. Et Christus est verus homo. Assumptionis membra confirmantur. I. Christo tribuitur *appellatio hominis* 1. Tim. 2, 5. *Vnus conciliator DEI & hominum, homo Iesus Christus*, 1. Cor. 15, 21. *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum* Rom. 5, 15. *Si unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures homines abundavit.* Vocatur *primogenitus inter fratres* Rom. 8, 29. *Primogenitus*

ex

*ex mortuis Apoc. 1, 5. Primogenitus omnis creaturae Col. 1, 15. Semen mulieris Gen. 3, 51. Semen Abrahæ Hebr. 2, 16. Filius Abrahæ Matth. 1, 1. Filius & Fructus ventris Davidis. 2. Sam. 7, 12. Pl. 89, 36, 37. II. Tribuuntur illi essentialia hominis partes, corpus & anima rationalis. De corpore Christi loquuntur hæc dicta Matth. 26, 26. Accipite, hoc est corpus meum, Joh. 1, 21. loquebatur de templo corporis sui. Col. 1, 22. in corpore carnis ejus Marc. 14, 18. pervenit ungere corpus meum 1. Pet. 2, 24. qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Animæ expressa fit mentio, Matth. 20, 28. Filius hominis venit, ut daret animam suam λύτρον pro multis. Joh. 10, 15. animam meam pono pro ovibus meis. Luc. 23, 46. Pater in manus tuas commendo spiritum meum Joh. 10, 28. Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono animam meam a me ipso Matth. 26, 28. tristis est anima mea usque ad mortem III. Christo tribuuntur propria πάλθη hominis. *Eames* Matth. 4, 2. *lassitudo, somnus* Marc. 4, 38. *sitis* Joh. 19, 28. *tristitia* Matth. 26, 38. *ira* Marc. 3, 6. quæ sunt communes omnibus hominibus, & tanquam pœna peccati totam speciem consequuntur. Non autem assumunt infirmitates personales, ut sunt: lepra ophthalmis, cœcitas &c. nec culpabiles, concupiscentiam videlicet & motus inordinatos, neque infirmitates animi personales, ut nasci stolidum, aut reprehensibiles, ut peccatum originale, sed naturales & irreprehensibiles, summa, quæ de vero corpore humano, & vera humana anima & de toto homine per se essentialiter dicuntur, ea de Christo vere dici possunt & debent. IV. tribuuntur illi propriae hominum operationes & effecta, tum in anima, tum in corpore, tum in toto composito. Nam non solum in statu exinanitionis vult, loquitur, intelligit, eligit, sed etiam in statu gloriæ actu intelligit, vult, loquitur, conversatur in cœlis cum beatis angelis & hominibus, rediturus visibiliter ad iudicium &c. Stat ergo immota nostra thesis: Iesus Christus est verus homo. Quare damnamus hereticos, primo Marcionitas, qui asseriebant, filium DEI non assumisse veram humanam naturam, sed phantasma, spectrum, & speciem duntaxat externam. Secundo Valentinianos, docentes, filium DEI per virginem Mariam*

riam

riam, tanquam per canalem, aut fistulam, sine ulla de illa assumpta carne transisse. Tertio *Apollinaristas*, qui carnem, ossa & animam vegetativam Christo quidem concedebant, non autem animam rationalem, quam $\nu\beta\nu$ & $\eta\gamma\mu\omicron\nu\iota\kappa\omicron\nu$ appellamus. Quarto *Menotbeletas*, duas in Christo distinctas voluntates non admittentes. Recordamur autem dicta illa veterum; Augustini: *Pro illo non esse Christum mortuum, qui Christum verum hominem negat, quia est mortuus secundum hominem.* Leonis, *non posse quenquam eo capite gloriari, in quo asserat naturam suam non haberi.* Concludimus ergo cum Symbolo Athanasii. *Est fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus & homo est: Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.*

§. 20. *Formam unionis* quod attinet, ea forma captum humani ingenii superat. Scaliger exercit. 307. l. 12. de naturalibus ita differit. *Nego tibi ullam formam esse nobis notam plene & plane, nostramque scientiam esse umbram in sole: formarum enim cognitio est rudis, nec nisi per $\pi\epsilon\rho\iota\varsigma\acute{\alpha}\sigma\epsilon\iota\varsigma$.* Si verum istud de naturalibus, quid futurum est de hoc summo mysterio, quod est $\omicron\mu\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma$ magnum, & Iustino attestante $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho\ \nu\beta\nu$, $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho\ \pi\acute{\alpha}\sigma\alpha\nu\ \kappa\alpha\tau\acute{\alpha}\lambda\eta\psi\eta\ \kappa\tau\iota\varsigma\eta\varsigma\ \Phi\acute{\upsilon}\sigma\epsilon\omega\varsigma$, annon satius esset $\epsilon\pi\acute{\epsilon}\chi\epsilon\iota\nu$, quam aliquid certi definire velle? Sed tamen ut & de formali ratione aliquid dicamus, etsi plene & perfecte unio à nobis in hac vita pervideri non possit, quia tamen Spiritus S. ea, quæ ad ejus notitiam in hac vita sufficere judicata sunt, in scriptura nobis patefecit, illius ductum sequentes aliquot aphorismis eam explicabimus: (1) dicimus, unionem hypostaticam non consistere in nuda sustentatione, seu gestatione humana nature, id quod voluit Nestorius, ut ipsius ostendunt verba: *propter cum, qui gestat, adoro eum, qui gestatur: ac cum Nestorio hodie Calviniani, quemadmodum inter alios, Martinus, cujus hæc sunt verba p. 571. 572. Ita communicata est, inquit, hypostasis Filii Dei carni, ut filius Dei huic in sese sustentanda & gerenda s. supposuerit sicut cum fulura supponitur structura alieni, ut firma & ordinata consistat*

p. 603.

p. 603. *subsistentia λόγῳ non est humanitatis forma, sed est causa, eam exterius assumptam intime conservans, ut sit velut surculus in λόγῳ radicibus plantatus, & Beza in Colloqu. Mompelgart. p. 245. Nos dicimus, quod humanitas a λόγῳ tantum sustentationem accipiat. Si enim verum, quod illi dicunt, omnes creaturæ τῷ λόγῳ personaliter erunt unitæ, quia sustentantur omnes a λόγῳ, ita ut si absque illius conservatione essent, omnes redigerentur in nihilum, Act. 17, 58. Hebr. 1, 3. quomodo vero secundum istos unio hæc ἐξάιρετὸν ἢ μονότροπον, h. e. singularis & præ reliquis modis unionis eximia, & ab omnibus aliis modis exempta, si consisteret in omnibus creaturis competere sustentatione. Vid. Rev, & Excell. Præsid. in Pentad. d. 5.*

§. 21. *Non (2) in nuda præsentia λόγῳ ad carnem; siquidem omnes creaturæ hanc præsentiam Christi cum carne habent communem, Deus enim omnibus rebus adest. Numquid Deus e vicino ego sum, & non Deus de longe? Sic occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus Jer. 23. 24. Cæli cælorum ipsum non rapiunt, 1. Reg. 8., 27. Excelsior cælo est, quid facies? profundior inferno, & unde cognosceres? longior terra mensura ejus, & latior mari, Hiob. 21, 8. Magnitudo ejus non est finis, Ps. 145. 3. & hoc non quantitatis expansione, sed ut Scholastici loquuntur, præsentialiter, potentialiter, essentialiter, secundum vulgatum versiculum: Enter, præsender, Deus hic & ubique potenter.*

§. 22. *Non (3) in idiomatum, aut donorum divinorum communicatione, hæc enim consequuntur, non autem constituent essentialiam. Ideoque calumniantur Pontificii, Bellarm. l. 3. de Christo c. 8. Valentinian tom. 4. col. 128. Polon. Synt. Theol. l. 16. c. 16. col. 2427. qui nobis affingere volunt, ac si in idiomatum communicatione omnem & totam unionis hypostaticæ essentialiam consistere statuamus, nemini enim ex Orthodoxis illud adhuc in mentem venit. Hoc docemus quidem, posse unionem hypostaticam per communicationem idiomatum formalem illius rationem esse: quare aliud est, aliquid quod a priori difficulter cognoscitur, a posteriori describere, & aliud differentiam formalem in hujusmo-*

D

jusmo-

justmodi descriptione constituere. Myſterium hoc a priori difficulter cognoscitur, ideo describitur a posteriori per communicationem idiomatum, siquidem effectus nos evēhant in notitiam causarum.

§. 23. Sed ratio formalis unionis hypostaticæ consistit. (1) *in intima & profundissima naturarum περιχώρησις*, quæ describitur ab Augustino lib. 6. de Trinit. c. ult. quod sit ὅλα πρὸς ὅλα παντὸς ἐλθὲς ἐνωσις ἀμύγης tamen, h. e. plenissima totius in totum unio impermixta, in qua singula sunt in singulis, & omnia in singulis & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia. Variat autem pro ratione unitorum; *datur enim περιχώρησις vel naturalis, vel supernaturalis: naturalis est vel essentialis, vel accidentalis; essentialis inter animam & corpus, dum constituunt corpus ἐμψυχον, accidentalis inter ignem & ferrum. Supernaturalis arctissima, & profundissima, vicissim est duplex, essentialis, vel personalis: essentialis, qualis est inter divinam essentiam, & tres ὑποστάσεις; personalis, quæ hic attenditur, intercedit inter λόγον & humanam naturam assumptam; filius enim Dei per admirabilem περιχώρησιν carnem intra consortium suæ hypostaseos ita assumpsit, ut intra carnem λόγος, & intra λόγον caro sit & maneat, nec caro extra λόγον, nec λόγος extra carnem, nec caro amplius nuda, sed caro λογωθεῖσα verbificata, θεωθεῖσα Deificata, caro Deitate uncta, corpus ἐνθεον atque divinum, non fecus atque ignis ferrum, & anima corpus penetrat, ut illud ignitum, hoc animatum fiat undique: unde factum ut contrectato homine Christo, verissime Deus contrectaretur 1. Joh. 1. 1. crucifixo homine, Dominus gloria crucifigeretur 1. Cor. 2. 8. interfecto, duxvite interficeretur. Act. 13. 15. Vid. Rev. & Exc. Dn. Schmidt Conc. XI. de nativ. Christi p. 330. Rev. & Exc. D. Dannh. χριστος. sect. 1. art. 2. p. 46. 47.*

§. 24. (2) *In arctissima & presentissima naturam presentia.* Siquidem impossibile prorsus est, unionem dari absque reali unitorum præsentia, περιχώρησις, permeationem, pervasionem, absque præsentia mutua Intimaque: quæ primum enim unum unitorum totale alicubi est, ubi non est alterum totale,

tale,

tale, ibi rumpitur unio, scinditur persona & exspirat conjun-
 ctio; quia fieri nequit, idem esse extra rem & in re, separatum
 & coniunctum. Sic si anima extra corpus constituta sit, non
 servatur, sed cessat unio, vel si anima sit, ubi non sit cor-
 pus, anima non potest dici totaliter unita corpori, pro-
 pterea Damascenus addidit, ad determinationem unionis,
ἀδιασάτως, indivulse, indistanter, h. e. ut neutra natura ab
 altera locorum intervallo aut interstitio distet. Hinc Leo
 in Ep. 5. ad Flavianum: *Post unionem in Christo nec sine vera
 divinitate humanitas, nec sine vera humanitate credatur Deitas.*
 Quid ergo sibi volunt ista Calvinianorum κρησφίγητα, quan-
 do ajunt, *totum λόγον esse ita in carne, ut totus etiam sit ex-
 tra carnem.* Ita totum λόγον esse in assumpta carne, & totam
 carnem esse in assumpto λόγω pronunciat Maccovius Colleg.
 de mediator. Christo Lezel. part. 1. obs. p. 187. Zanch. lib.
 2. de natura Dei c. 6. qv. 4. p. 157. Ludov. Crocius Apol.
 disp. 13. In Confessione Palatina aperte dicitur: *Divini-
 tatem esse extra humanam naturam a se assumptam, sed nihil-
 omnino ei personaliter unitam permanere.* Franciscus Junius
 def. 1. Cathol. doctrin. de Trinit. contr. Samosat. ita lo-
 quitur: *Est hypostasis filii in corpore sibi adunato, nimirum tota
 totaliter ut Spiritus, est etiam extra corpus sibi adunatum nimirum
 totaliter a que atque in corpore, ut infinitus est, alioquin proprie-
 tatem spiritualem tolleret infinitas, quod nemo hominum, nedum
 Philosophus si sapit sentiet.* Explicant magis illorum sententiam
 similia, quibus in hoc negotio utuntur, utpote quæ im-
 propriam, partialem & inadæquatam unionem personalem
 testantur. Comparant enim λόγον humanæ naturæ uni-
 tum corpori solis conjuncto orbi suo. Beza resp. ad Brent.
 arg. Tom. 1. oper. p. 511. *Coniunctum est orbi suo soli corpus
 firmissimo nexu semper: igitur simul sunt, sed non tamen propterea,
 ubi est septentrio, ibi est solis corpus, quoniam videl. latius patet
 orbis, quam solis corpus, item radici conjuncta frondibus & ramis
 in arbore.* Martyr. in Dialog. p. 10. *Arborem spectes, ubi cernes
 in eodem subjecto continuo nequaquam diviso & lacerato, radi-
 cem, truncum & ramum, neque tamen oportet, ut radix, ubicun-
 que arbor est, inveniatur, quoniam arboris natura, & in trunco*

est, & in ramis. item Oceano alluenti Antwerpiam, linea circum-
lum tangenti in uno puncto, anima pedibus hominis unita, clavo
adherenti rota, gemma annulo, lapillo ingenti petra. Cui vero
assimilabitur me? inquit DEUS, & cui similem facietis DEUM?
Esa. 44. 45. non est DEUS quasi homo. Num. 23. 18. Quid
enim annon hæc sunt impia; Annon dividunt λόγον? an-
non eundem μερισθόν faciunt? quippe cui ὅλω & toti caro
non sit unita, sed uni tantum particula illius, non secus ac
si maximo alicui panno, in minimo quodam spacio inter-
fertum sit subtegmen ex vili & communi ovium lana. Ni-
mirum hæc est illa Philosophia, qua res divinas intelligere
volunt, & sic candens ferrum non forcipe; sed digitis
contrectant. Tam suaviter philosophantur, quia non capi-
unt, quomodo immensitas divina includi possit tam angusto
corpori, quo modo inquirunt, finitum potest esse capax infi-
niti? cum Salomon affirmat 2. Paral. 6. 18. *cælos cælorum non
capere Deum*: Ergo neque finitam naturam humanam esse ca-
pacem infinitæ plenitudinis divinitatis τὸ λόγος, idque tan-
to minus, quanto minor ea est & angustior hac rerum
universitate. Sed tacere hominem oportet, cum Deus loqui-
tur, acquiescat, cum decernit; opponunt isti rationis spe-
culationem fidei articulo? quid autem rationi commune
cum articulis & mysteriis divinis? quid Athenis cum Hie-
rosolymis commune? Sane si rationem spectamus, & fini-
tum consideramus ex naturæ suæ proprietatibus, ve-
rum est, finiti ad infinitum nullam esse proportio-
nem. Sed hic consideramus singularem respectum, imo
supernaturalem actionem Dei, ubi ratio omnis Logica &
Physica concidit & expirat., & in hac consideratione fi-
nitum omnino potest esse capax infiniti. Maria certe vir-
go, mater Domini in utero suo sane finito gestavit ipsum
infinitum filium Dei: sic in humana Christi natura, quæ
certe unita est, infinita plenitudo divinitatis habitat cor-
poraliter, quæ tamen capacitas non est κατὰ μέγεθος, ac si
finitum essentialiter fiat infinitum, verum κατὰ συνῴασιν,
ut finitum extra essentialiter jungatur & uniatur fini-
to, non etiam κατὰ ἀλλοποίησιν, ut infinitum efficiat quod-
dam

dam finitum, verum *κατὰ μεταποίησιν*, ubi omnino sese potest communicare naturæ finitæ, ut eadem particeps fiat infinitæ potententiæ, non quidem inhæfive, vel ut subiectum unionis, attamen denominative, vel ut subiectum denominationis, vid. Calov. Metaph. Nec quicquam ad-versarii efficiunt isto ratiocinio. Si corpus Christi in utero matris existens non fuit in utero Herodiadis; si involutum in fasciis Bethlehemi, fuit extra aulam Augusti; si vere fuit translatum de loco in locum; si in morte Christi corpus in sepulchro, anima in paradiso fuit, si non est in inferno, ergo *ὁ λόγος* est extra suam carnem. Distingui-mus enim inter præsentiam intimam & extimam: non con-trovertitur, an caro semper omnibus creaturis præsens fuerit a primo incarnationis momento, sed illud quæritur, an loquendo de præsentia intima, *λόγος* post factam unionem, unquam fuerit extra carnem, & est id, quod negatur. Non majoris vel subtilitatis vel veritatis est illa argumentatio; quod carnem in utero materno assu-mens hypostatice extra uterum in omnibus locis est, illud etiam extra carnem est. Verbum in utero hypostati-ce assumens, extra uterum hic omnibus locis est, ergo etiam extra carnem est; nempe fallit propositio: qui in utero matris existens in omnibus locis est, is etiam est extra carnem, differunt etiam extra carnem esse, & extra uterum. Deinde licet Christum in utero materno existens, illi carnem solum stiterit, quoad actum naturalem præsentem, quoad unionem tamen personalem, nusquam ab ea abfuit. B. Lu-therus elegantissimis verbis mysterium hoc explicuit in confessione sua de cœna Domini Tom. II. Jen. f. 458. quæ hic apponere non erit inutile. *Si locum monstrare posses, ubi Deus & non homo, jam persona divisa foret, quia tunc vere dicere possem, hic est Deus, qui non est homo, nec unquam homo fuit, ego vero talem Deum habere nolim, hinc equidem sequeretur, locum & interval-la duas in Christo naturas separare & personam dividere posse, cum tamen neq; mors, neq; omnes Diabolorum turme dividere illum, aut dilacerare potuerint. Et vilis certe atq; perexiguus Christus maveret, qui in unico duntaxat loco divina & humana natura*

καὶ ὑπόστασις constaret, in reliquis autem omnibus locis nudus tantum & simplex separatusq; Deus & divina persona esset sine humanitate. Nihil minus bone vir; sed ubicunq; Deum locas, ibidem quoq; humanitatem locare necesse est. Germanica ita habent: Wo du einen Ort zeigen würdest / da Gott wäre / und nicht der Mensch / so wäre die Person zutrennet / weil ich als denn mit der Wahrheit könnte sagen: Die ist Gott / der nicht Mensch ist / und noch nie Mensch worden. Mir aber des Gottes nicht / denn hieraus wolte folgen / daß Raum und Stätte die zwö Naturen von einander sonderten / und die Person zutrenneten / so doch der Tod und alle Teuffel sie nicht können trennen. Und es solt mir ein schlechter Christus bleiben / der nicht mehr dann an einem einzehlen Ort zugleich eine Göttliche und Menschliche Person wäre / und an allen andern Orten müste Er allein ein bloßer abgesonderter Gott und göttliche Person seyn ohne Menschheit. Mein Geselle / wo du mir Gott hinthust / da must du mir auch die Menschheit mit hinzu setzen / sie laßen sich nicht sondern / und von einander trennen. Ita quoque senserunt Patres ante Lutherum. Nazianzen. Epist. 5. ad Cledonium, Epiphani. lib. 2. tom. 2. contra Ariomanitas, pag. 249. Athanasius Orat. 2. contra Arianos p. 170. Cyrillus ad Reginas de vera fide fol. 129. discrete asserentes, τὸν λόγον non esse extra suam carnem.

§. 26. (3) In unius ὑφίσταμένῃ constitutione mutua; non enim duæ istæ naturæ tantum immigrant & complectantur se invicem, non tantum mutuo sibi præsentem sunt, sed etiam concurrunt ad constituendum unum hyphistamenon, unde vocatur unus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus 1. Tim. 2. 5. 1. Cor. 8. 6. Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, unus vir, 2. Cor. 11. 2. Unus Christus 2. Cor. 5. 14. ideoque DEUS non est alius ab eo, qui est homo & homo non est alius ab eo, qui est Deus, sed idem est Deus, qui homo, & idem est homo, qui Deus, unus Christus & unus Dominus benedictus in secula. In Patribus hanc assertionem claris & perspicuis verbis habemus. Augustinus lib 13. de Trinit. cap. 14. Cum lego, verbum caro factum est & c. in verbo intelligo ve-

*rum Dei filium, in carne agnosco verum hominis filium & utrumq;
simul in una persona Dei & hominis ineffabili gratia largitate con-
iunctum. Athanasius Dialog. 5. de Sanct. Trinit. χειρὸς ἐν
πρόσωπον συνδεῖν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων φύσεως. Vincent. Liri-
nens. libr. 4. advert. prof. vocum novit. In Deo una subst. an-
tia, sed tres persone, in Christo dua substantia, sed una persona.
In Trinitate unus atque alius non aliud atq; aliud: in Salvatore
aliud atque aliud, non alius atque alius. Alia est substantia di-
vinitatis, alia humanitatis, sed tamen Deitas & humanitas non
alter & alter, sed unus idemque Christus, unus idemque Dei filius,
sicut in homine aliud caro, aliud anima, sed anima & caro unus
idemque homo. Et in Symbolo Athanasii: Unus est Christus
non conversione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in
Deum. Unus omnino non confusione substantia, sed unitate persona.
In Calcedonensi Synodo exclamarunt Patres, Anathema
dividenti & confundenti, dividenti scil. personam, & confun-
denti naturas, quia nature sunt inconfuse unite, ut inseparabi-
liter distinguantur. Ita nimirum cum Ecclesia constanter
asserunt Patres, & hac in re melioris declarationis ergo ali-
quot utuntur similitudinibus, quæ cum non parum unionem
personalem illustrent, & accommodatissimæ sint huic ne-
gotio, istas eo fine proponemus, ut ex iis tanquam noti-
oribus, & facilioribus, planius intelligantur ea, quæ de hoc
mysterio in Scriptura revelata sunt. Cyrillus in Epistola
Synodica inquit: Verbum in assumpta natura talem sibi ha-
bitationem fecit, qualem & anima hominis habere credi-
tur ad proprium corpus. Augustinus in Epist. 3. ad Vo-
lufianum: Deus cum homine uniri dignatus est quodammodo,
ut ei sic cooptaretur homo totus, quemadmodum anime corpus
excepta concretione mutabili item: Sicut in unitate perso-
ne anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate perso-
ne DEUS unitur homini, ut Christus sit. Oecumenius
habet simile Lucis & Solis. Uti duæ, inquit, distinctæ sunt
nature, lucis scilicet & corporis solaris, quæ ita unite sunt, ut
unus sit Sol lucidus & unum ac idem lumen illustrans omnia; ita
in Christo incarnato duo differentes sunt nature, divina, quæ ab æ-
terno fuit, & humana in tempore formata, quæ unite sunt ad
unum*

unum

unum hypbistamenon, ut unus sit Filius, qui simul & Dei hominis filius est. Alia Veteris Ecclesiae similitudo est de machæra ignita, vel ferro aut carbone ignito, ubi ignis ferro vel carboni, in unione illa lucendi & urendi suam vim communicat, quam proponunt Basilius, Cyrillus & Damascenus. Cogitandum autem de illis similitudinibus: ἄγμῳδιον παράδειγμα ἔκαστὸν κατὰ πάντα, κατὰ τὴν γῆν. Accommodatum παράδειγμα, etsi non ex omni, ex aliqua tamen parte; licet non per omnia respondeat, siquidem impossibile de Deitate & incarnatione exempla, quæ per omnia sint similia, invenire, est tamen elegans & ad rem intellectu difficilem explicandam percommodum, & nobis familiarissimum. Istæ igitur similitudines recte accommodatæ ad doctrinam de incarnatione filii Dei, valde eam illustrent. Sicut enim anima & corpus, ferrum & ignis, lux & corpus solare ex duabus quidem diversis naturis & essentiis constituuntur, nihilominus unus est Sol unum ferrum ignitum, unus homo. Ita ex duabus diversis naturis in Christo divina & humana, unum ὑφιστάμενον, unus Christus, una persona constituitur. Sicut in unione animæ & corporis, Lucis & Solis, ignis & ferri, naturæ & idiomata & essentialia actionesque propriæ inconfusæ sunt: ita in unione personali Christi, naturæ & idiomata essentialia, actionesque propriæ non confunduntur, sed sunt & manent inter se distinctæ. Sicut anima agit cum communicatione corporis, ignis cum communicatione ferri, lux primigenia cum communicatione corporis solaris: ita unio personalis non est sine communicatione naturarum & proprietatum.

§. 27. Verum ut admodum unionis veniamus, spectatur is vel ordine ad naturas, vel in ordine ad personam. Quoad naturas unio describitur, nec substantias confundendo, nec personam separando, quod sit talis unio, qua duæ naturæ, divina ἰδιοσύστατος & humana ἐνυπόστατος ad unum hypbistamenon uniantur, non modo ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἢ ἀσυνγύτως, sed & ἀδιαρέτως, ἀχωρίτως, ἢ ἀδιαστάτως. Patres Synodi Chalcedonensis mysterium hoc eleganter explicant

explicant

plicant his verbis: Ὁ μολογῶμεν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν τέλειον ἐν Θεότητι, καὶ τέλειον ἐν ἀνθρωπότητι, καὶ Θεὸν ἀληθῶς καὶ ἀνθρώπον ἀληθῶς, ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοῦσον καὶ ὁμοιον κατὰ πάντα, χωρὶς ἀμαρτείας ἐνὰ τὸν αὐτὸν ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιακρίτως, ἀχωρίτως γνωριζόμενον, σωζόμενον τῶν ἰδιομάτων φύσεως ἐκατέρας, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον συντρέχόντων καὶ μίαν ὑπόστασιν. *Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum esse perfectum in divinitate, & perfectum in humanitate, verum Deum & verum hominem, eundem ex anima rationali & corpore. Coessentialem Patri secundum divinitatem, & coessentialem nobis secundum humanitatem, & per omnia similem, dempto peccato. Unum in duabus naturis inconfuse, inconvertibiliter, inseparabiliter & indistanter agnitum, servatis utriusque naturæ proprietatibus & in unam personam atque unam hypostasim conspirantibus. Ubi nominantur duæ perfectæ & integræ naturæ, divina & humana, ac deinde unionis modus respectu illarum naturarum ordine & succincte explicatur.*

§. 28. Facta dicitur hæc unio (1) ἀσυγχύτως, inconfuse. Non enim mixtione quadam duæ naturæ sunt unitæ, veluti cum ex aqua & melle fit mulsum; aut cum ex diversis speciebus theriaca, aut panacæa commiscetur, unde tertium quoddam resultat compositum, non sine manifesta naturarum, proprietatum, naturalium, & operationum abolitione, immutatione, confusione, exæquatione. Qualem unionem sibi imaginatus est *Eutyches*, ut ex Concilio Chalcedonensi patet, ubi de sua doctrina interrogatus sic respondit; Ὁμολογῶ ἐκ δύο, φύσεων γεγενῆσθαι τὸν Κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἐνώσεως, κατὰ δὲ τὴν ἐνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ. *Ego Eutyches ante unionem ex duabus naturis profiteor Dominum nostrum Jesum Christum esse genitum, post unionem autem, unam ejus esse naturam confiteor.* Sed in unione personali naturæ servantur integræ, nec in simplicem essentiam, nec in compositam convenerunt, aut coaluerunt, nec ex unione hac tertia species duabus diversis speciebus existit; utraque enim natura retinet suam peculiarem ἰδίαν ab alterius substantia distinctam.

E

§. 29.

§. 29. (2) Facta est hæc unio ἀτρέπτως, *inconvertibiliter*
immutabiliter. Non enim divinitas in humanitatem, aut
humanitas in divinitatem conversa est, sicut virga Aaro-
nis in colubrum, aut aquæ in sanguinem Exod. 4. 3. &
cap. 7. 2. & aqua in vinum mutata est, uti docuerunt *Ti-*
motheani. Ita enim Christus incarnatus nec DEUS esset, nec
homo, neque Patri, neque nobis esset consubstantialis, nec
simul verus DEUS esset, & verus homo, simul Patri &
nobis ὁμοούσιος, sed facta est unio assumptione humani-
tatis in DEUM, uti Spiritus S. ipse explicat Philip. c. 2.
6. 7. *Qui in forma Dei erat, formam servi ἐλαβε, & Heb. 2. 16,*
Filius DEI semen Abrahæ ἐπίλαμβάνεται. Quod Origenes hoc
sensu bene expressit: *Id, quod erat, permansit, & quod non*
erat, assumpsit, unde vulgatus iste versiculus: Sum, quod eram,
nec eram, quod sum, nunc dicor utrumque.

§. 30. Tertio facta hæc est unio ἀδιαζέτως, indivise & in-
solubiliter, innuendo, λόγον humanam naturam semel assum-
ptam sempiterno fœdere sibi unitam in omnem æternita-
tem retinere. Neque enim ita humanam naturam assump-
sit, sicut Angeli ad tempus assumerunt speciem humanam,
in qua hominibus apparuerunt, sicut induimus vestem,
quam suo tempore iterum deponimus, non certe, verum
adeo carnem sibi univit, ut eam propriam & suam effece-
rit, tam arcta est unio personalis, ut ne quidem in morte
soluta fuerit. Confirmat hoc ipsum Scriptura quoque,
quæ dicit, illud ipsum corpus, quod in monte Oliveti visi-
biliter in cœlum est sublatum, in novissimo die visibiliter
rediturum oculis nostris aspectabile. Actor. i. ii. *videbunt,*
in quem transfixerunt, eadem inquit, Christum in illa ipsa
carne sua, *nunc etiam apparere, vultu Dei pro nobis, Hebr. 9.*
24. Imo ipsum nostra vilissima corpora aliquando redditurum con-
formia glorioso suo corpori, Phil. 3. v. ult. Refellitur autem hæc
unionis determinatione *Samosatenus*, qui teste *Suida π. fol.*
737. ita de Christo locutus est: ὡςπερ εἰς ἕκαστον τῶν προφη-
τῶν, ἕτως καὶ ἐν αὐτῷ γεγενῆσθαι τὸ θεῖον λόγον τὴν ὀικήσιν, ἐνθ' ἐν
καὶ δύο φύσεις δινημένως ἐχέσας καὶ ἀκαινώστους πρὸς ἐαυτὰς
ἵνα

E

ἵνα

εἶναι παντάτασιν ἐν χριστῷ, ὡς ἄλλοι ὄντες αὐτῷ τῷ χριστῷ, καὶ ἄλλοι τῷ ἐν αὐτῷ κατοικῶντι θεῷ λόγῳ. Sicut in alio quovis Propheta, sic in illo quoque verbum divinum habitasse. Unde etiam duæ omnino naturæ sunt in Christo, divisæ & separatae a sese, quarum neutra alteri quicquam communicet tanquam aliud quiddam sit Christus, & aliud habitans in eo Dei verbum.

§. 31. Quarto facta hæc unio est ἀχωρίτως inseparabiliter, indistanter. Nullam enim admittit vel separationem, vel absentiam alterius naturæ ab altera, quasi alicubi seorsim positæ, sed complectitur præsentissimam naturarum inter se præsentiam, ita ut λόγος ratione hypostaticæ unionis secum intra se, apud & penes se personaliter unitam & præsentem semper habeat humanam naturam, quæ in illa tota plenitudine unitæ Deitatis λόγῳ, in dividuam suam habet subsistentiam & immanentiam. Opposita fuit hæc opinionis determinatio Nestorio, qui separavit naturas, quando negavit Mariam esse θεότοκον, Deum esse bimestrem & trimestrem, Deum a Judæis esse crucifixum. Noli, inquit, gloriari, Judæe, non Deum, sed hominem crucifixisti, unde Patres Ephesinii concluderunt, Nestorium, etsi unionem personalem verbotenus non neget, quoad rem ipsam tamen inficiari, sic enim colligebant: Quicumque negat communicationem idiomatum; ille dividit Christum in duas personas. Nestorius negat communicationem proprietatum, E. Nestorius dividit Christum in duas personas.

§. 32. Cæterum ratione hypostaseos modus unionis primo non est essentialis, sicut in homine est unio animæ & corporis. Nam quæ essentialiter uniuntur, earum unum dependet ab altero, ea se mutuo ita perficiunt, ut neutrum sine altero perfectionem obtineat, ea constituunt naturam & essentiam tertiam ἐξ ἐτέρων ἑτέρον. Sic anima dependet a materia, & materia ab anima. Illa se habet instar actus & ἐντελεχείας, hæc instar potentiae. Illa perficit & informat, hæc perficitur & informatur, utrinque fit concursus, & constituunt duo illa in unione unam naturam & essen-

tiam a constituentibus tertiam. At vero de Christo tale quid affirmare non licet, qui est perfectus Deus, perfectus homo, perfectus in humanitate, perfectus in divinitate, uterque terminus est absolutus, neque Christus ab humana natura aliquam habet dependentiam, aut, ut perfecte subsisteret, humanam naturam requisivit, neque ex unione humanæ & divinæ constituitur una natura, sicut ex unione animæ & corporis, sed una persona, unum hypostamenon.

§. 33. *Non secundo Accidentalıs.* Hæc enim est vel inter *accidens & substantiam*, quomodo *dulcedo & albedo cum saccharo*, *virtus cum animo unitur*, unde *album dulce*, *animus virtuosus*; vel inter *substantiam & subsistentiam*, quomodo res diversæ per accidens uniuntur, & hæc unio fit vel per *σύγχυσιν confusionem*, commixtionem, ut in mixtis, ubi diversæ species miscentur, cuius exemplum est *hydromel* vel per *appositionem* in aggregatis, quando diversæ species, *palex*, *lapilli*, *hordea*, *stramina* in unum aggregantur, vel *κατὰ παράστασιν assistentiam*, qualis est tam in *contiguis*, ut cum unus alteri assistit, sicut *angeli assistunt corporibus*, in quibus munere suo defunguntur, sicut fortassis *intelligentiæ assistunt orbibus*, *cœlestibus*, vel in *continuis*, quomodo duo *asserres conglutinati* aut *combinati* unum fiunt. Neutro autem modo unio hæc accidentalıs est dicenda, non priori, alterutra enim naturarum non est accidens, neque divina, neque humana natura. Non posteriori, sequeretur enim Deum per accidens esse hominem, & hominem per accidens Deum, & communicationem esse accidentalem. Quid vero, si Patres unioni accidentali subscripsisse videantur, quia nonnulli dicunt, Christum carne sive corpore nostro simili indutum esse, ac corpus esse *περιβολήν* Deitatis, quæ locutio est non tantum *Ignatii in Epist. ad Trallianos*, sed & *Cypriani Serm. de nativ.* August. Ep. 56. col. 262. Verbum Dei homine indutum. Respondet pro nobis *B. Luberus T. 1. Wittebergenst.* Nulli fuerunt unquam Patres, aut Doctores, qui non improprie

proprie sunt locuti, si dicta illorum cavillari velis. Sedulus Poeta Christianissimus canit: *Beatus autor seculi servile corpus induit*, idque per totam Ecclesiam, cum nihil possit dici magis hæreticum, quam naturam humanam esse vestem divinitatis. Non enim vestis & corpus constituunt unam personam, sicut Deus & homo constituunt unam personam, tamen piissime sensitse Sedulium, cetera carmina probant evidentissime. 2. similitudines latius, quam fert scopus, extendi non debent, & Patrum ista in hoc tertio instituitur *sicut homo videtur per vestem, ita verbum per humanitatem assumptam*, quæ responsio est Thomæ Aquinatis *part. 3. quest. 2. art. 3.*

§. 34. Sed (3) *Personalis*, qua λόγος æternus, secunda Deitatis persona, aliquam de femine & sanguine virginis Mariæ massam a Spiritu S. singulari & mirabili obumbratione purificatam & sanctificatam, in unitatem personæ assumpsit, ita quidem, ut jam λόγος assumens & caro assumpta unum constituent hypostamenon, ut verbi hypostasis propria, facta quoque sit hypostasis assumptæ carnis.

§. 35. Ratione *temporis* unio hypostatica τῷ λόγῳ facta est in ipso primo momento conceptionis, per inumbrationem Spiritus S. in utero Mariæ virginis. Hinc Athanasius scribit: ἐν αὐτῇ ὑπάρξει ἐνωθεῖσα σὰρξ τῷ λόγῳ ὑποσάσει, in ipso conceptionis momento caro verbi unita est personæ. Annunciante angelo & sanctissimos suos proponente sermones, atque enunciante Maria illa verba: *Fiat mihi sicut dixisti*, admirandum mysterium consummatum est. Damascen. lib. 3. O. F. c. 2. μετὰ τὴν συνκάληθρον τῆς ἀγίας παρθένου πνεύμα ἁγίου ἐπήλθεν ἐπ' αὐτὴν &c

§. 36. *Finis incarnationis proximus* est generis humani *redemptio*, quoniam ideo Christus de cælis descendit & verus homo natus est, ut regnum ac potestatem Diaboli destruere ac lapsum genus humanum redimere posset, ut testantur hæc dicta Luc. 19, 10 *Venit filius hominis querere quod perierat* 1. Tim. 2, 5. *Unde Mediator Dei & hominum, qui dedit seipsum pretium redemptionis pro omnibus* 1. Joh. 3. 8. *In hoc apparuit Filius Dei,*

ut destrueret opera Diaboli. Matth. 20. 28. Filius hominis non venit, ut pateretur sibi ministrari, sed ut ipse ministraret, & daret animam suam λύτρον ἀντιπολλῶν. Unde hæc sunt Augustini aurea verba: Factus est DEus homo, ut homo fieret Deus. Natus est homo Deus, ut liberaretur homo reus. Item Vide homo, quis pro te factus est Deus, doctrinam tandem humilitatis agnosce. Tu cum homo esses, Deus esse voluisti, ut perires, ille, cum Deus esset, homo esse voluit, ut quod perierat, inveniret. Tantum te pressit humana superbia, ut te non posset sublevare, nisi divina gratia. Mediatum finis est gloria divina manifestatio, de qua testantur angeli Christo in mundum nato accinentes Luc. 2. 4. Gloria in Excelsis Deo. Quomodo autem per unionem gloria Dei manifesta, id indicant pii veteres. Greg. Nyssen. orat. de nativ. p. 75. & ex eo Damascen lib. 3. c. 1. Demonstratur, inquit, in hoc opere simul & bonitas & sapientia & iustitia & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprii plasmatum facturæque propria infirmitatem, sed miseratus ipsam cadentem ei manum porrexit. Iustitia, quia homine victo non alio, quam homine fecit vinci tyrannum, neque violentia a morte diripuit hominem, sed quem olim per peccatum in servitutem redegerat mors, hunc bonus & iustus rursus effecit victorem, & simile simili reparavit, quod opus erat. Sapientia, quia rei admodum dubie ac difficilis invenit solutionem quam decentissimam, filius Dei perfectus, DEus existens perfectus, homo sit, & hoc impletur opus, quod omnium novorum maxime novum est quod solum novum sub sole, per quod infinita Dei apparuit virtus, quid enim majus, quam Deum hominem fieri.

§. 37. Ex unione hypostatica resultant *Prædicationes personales*, ut Filius Dei dicatur homo, & Filius Mariæ dicatur Deus. *Quæ neque sunt propria vel regulares, neque tropica vel figurata, neque Synecdochica, neque identica, neque verbales, neque accidentales, sed sunt personales, quia originem ex unione personali ducunt, personalis unionis mysterium exprimunt, & earum vis natura, veritas & connexio ex unione personali judicandæ sunt. Vbi tenenda regula, propter unionem hypostaticam non prædicari unam natu-*

naturam de altera natura absolute, quia non dico; Deitas est
 humanitas, aut humanitas est Deitas; non enim facta est unio
 ad unam naturam, sed ad unam personam, neque prædicari
 personam de persona, introduceretur enim personæ
 διπλότης, sed prædicari concertum naturæ, decreto alterius
 naturæ vel, quod idem est naturam unam prædicari
 de altera in concreto, ut filius Dei est homo, & fi-
 lius Mariæ est Deus, quomodo explicamus sacrarum lite-
 rarum testimonia de unionis hypostaticæ mysterio, utpo-
 te cum Propheta dicit Jer. 23. 5. 6. de germine Davidis: *Hoc*
est nomen, quod vocabunt eum Jehovah justitia nostra, & Chri-
stus ipse Matth. 16, 53. ad discipulos; Quem vos di-
citis, inquit, esse me filium hominis; cui Petrus reliquo-
rum nomine: Tu es Christus filius Dei viventis, & 1. Cor. 15, 47.
Alter homo est Dominus de cælo. Nullo autem modo reci-
 pienda Cinglii ἀλλοίωσις. Cum enim dicimus, homo est Deus,
 non est ita intelligendum, ac si dicerem, quod λόγος fecun-
 da persona divinitatis, quæ carnem assumpsit, sit Deus, neque
 vicissim ista hanc interpretationem admittit, Deus homo
 factus est; humana natura, quæ e Deo assumpta gestatur,
 homo est. Ineptum enim & sacris literis plane contrari-
 um esset, velle Deum intelligere, ubi homo nominatur, &
 pro homine Deum substituere.

§. 38 Quibus ita constitutis & confirmatis, cum Dn.
 Chemnitio, *Unionem hypostaticam definimus hunc in modum:*
Unio hypostatica est actio Totius Trinitatis, quæ λόγος æterni
Patris æternus filius, obumbratione altissimi & superventu Spi-
ritus S. ex Maria virgine siue virili semine naturam humanam ve-
ram, integram, & excepto peccato nobis consubstantialem & in-
firmitatibus etiam absque peccato nobis similem insua hypostaseos
unionem & communionem, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαρέτως
ἔχων ἑωσ ἄχωρ ἑως assumpsit, sibi que tam arcte copulavit, ut ipsius
filii Dei, qui ab æterno persona erat, propria personalitas
humane nature, quæ persona non erat, communicata &
verbi hypostasis propria facta quoque sit hypostasis assumpta carni
adeo ut due hæ nature divina & humana salvis utriusque proprie-
tatibus, unum hypostatenon, & unus idemque sit Christus, qui
 opus

pus redemptionis perfecit, & jam in caelo & in terra sine fine
praesentissime potentissimeque regit & gubernat. Quae unio pro-
pter nos homines, & propter nostram salutem ad officium redem-
tionis, regni & sacerdotii Messiae facta est. Quia enim per passio-
nem & mortem fieri debeat redemptio, opus fuit humana natu-
ra, & quia divina potentia per mortem conculcandum erat caput
serpentis, ideo divina natura in persona redemptoris opus fuit. Atque
haec vere sunt, quae in descriptione unionis personalis
producenda fuerunt. Pedem hic figentes Christo incarnato
cum sanctis Angelis accinimus ex Apoc. 7, 12. Benedicto
& Claritas & sapientia & gratiarum actio, ho-
nor, & virtus, & fortitudo DEO nostro in
secula seculorum, AMEN.

